

caelestes, nullo vero pacto supremam spheram. Iuxta enim sententiam Astronomorum, Quicumq; orbis superior suo motu circumfert omnes inferiores sibi contiguos, & concentricos, non autem superiores.

OCTAVVS orbis præter duos istos motus predictos sibi ab alienis orbibus impressos, peculiarem adhuc, & proprium motum habet, quem vocant motum accessus, & recessus, seu motum trepidationis, ut supra diximus. Hic autem motus fit super principia  $\Upsilon$ . &  $\Delta$  nonæ spheræ tanquam polos. Principia enim  $\Upsilon$ . &  $\Delta$  octavæ spheræ circa initia  $\Upsilon$  &  $\Delta$  nonæ spheræ describunt circulos quosdam parvos, quorum semidiametri contmēt 9. grad. Tantum enim distant initia  $\Upsilon$  &  $\Delta$  octavæ spheræ a principijs  $\Upsilon$  &  $\Delta$  nonæ spheræ. Ex hoc vero motu principiorum  $\Upsilon$  &  $\Delta$  octavæ spheræ circa principia  $\Upsilon$  &  $\Delta$  nonæ spheræ consequitur, nullum aliud punctum octavi cali circulum perfectum ab solvere, sed quodammodo titubare, hoc est, nunc accedere ad polum arcticum, & ab antarctico removeri, nunc vero a polo arctico discedere, & ad antarcticum accedere. Periodus istius motus complectitur spacium 7000 annorum, ita ut si dividantur circuli illi parvi in 360. gr. in 20 annis fere vnus gradus absoluat. Hoc etiam motu orbis omnium planetarum moventur, cum sint cum octavæ spheræ concentrici.

SATVRNI globus præter dictos tres motus, habet motu propriu, quem conficit ab occidente in orientem annis 30. fere. Singulis namq; diebus peragrat in Zodiaco minuta quasi 2, & tertia 35.

IUPPITER suum circuitum explet. 12 fere annis. Quolibet enim die petransit min. 4. sec. 59. ter. 15.

MARS absoluit suum motum ab occasu in ortum annis fere 2. Per currit enim in Zodiaco quouis die min. 31. sec. 26. tert. 38.

SOL conficit suum iter ab occidente in orientem diebus 365. horis 5. minutis 49. sec. 15. Quod spacium annus solaris appellari solet. Ex quo patet, Annum non præcise continere 365. dies, & horas 6. ut in Calendario Romano supponitur. Desunt enim minuta fere 11. vnus horæ. Nam Sol singulis diebus conficit min. 59. sec. 8. tert. 19. quar. 37.

VENVS totum suum circulum complet eodem quasi tempore cū Sole. Progreditur namque quouis die min. 59. sec. 8. ter. 19. fere.

MERCVRIVS tantundem fere omni die conficit. Quamobrem totum cursum absoluet quasi eodem tempore cum Venere.